

1
7
93







PROGRAMMA
IN
PENTECOSTES
FESTO
P. P.
IN ACADEMIA JULIA

HELMESTADII,
Typ. Hæredum HENRICI DAVIDIS MULLERI.
ANNO CIƆ IƆC LXXXI.

PRORECTOR ACADEMIÆ JULIÆ HENRICUS MEIBOMIUS MEDIC. ET HISTORIAR. PROF. PUBL. ET ORDIN.

CIVIBUS ACADEMICIS S. D.

QUod neminem Vestrûm latet, Missio Spiritus Sancti in Apostolos hodie in Ecclesia celebratur, quæ quidem, ut à *Luca* in *Act. Apostol.* cap. 2. cum omnibus circumstantiis narratur, non parum percellit animum pii legentis, ut facile conjicere hinc liceat, quàm consternati fuerint tum temporis illi, qui oculis suis auribusque omnia usurparunt. Absit autem procul à nobis, ut cum nonnullis eorum profanè hoc miraculum irrideamus, & *vino dulci plenos* arbitremur, quos spiritus Dei implevit: sed potius cum aliis *compungamur corde*, & contremiscam⁹ ad stupenda illa, tot hominibus præsentibus facta, & veneremur illum supernum ignem insidentem linguis, adoremusque eum, qui spiritu suo inflammat homines, & ad pia opera patranda strenuos reddit & idoneos. Uti autem ille Dei Spiritus (τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, *spiritus veritatis*,) sensibiliterque linguis Joh. 14, 17 Apostolorum insidens ignis, tam fortiter operatus est, ut *additæ fuerint Ecclesiæ illo die animæ quasi ter mille*, & quidem ex variis gentibus, arripientes avidè doctrinam Christi,

sti, hactenus ignotam, multis exosam, plurimis ridiculam: ita semel ille missus dein per seculorum omnium decursus occulto igne Ministrorum Dei animos accendit, linguasque illorum efficaces reddidit, ut tot incredulæ & barbaræ gentes ad Christianam fidem conversæ fuerint, & hodieque convertantur. *Vobis enim*, inquit Petrus, *facta est promissio & liberis vestris & omnibus longè post futuris, quoscunque videlicet advocaverit dominus Deus noster.* Non autem libet nunc amplum illud argumentum aggredi, & ostendere, quomodo juxta *Apostoli* dictum, *sonus Evangelii exiverit in omnem terram:* recolam tantum pia memoria, & ex historiarum nostrarum monumentis docebo, quomodo in Saxoniam, & in hæc ipsa, quæ in colimus, loca, divini spiritus vis penetraverit, quasve linguas cælestis ille ignis insederit, quorumve ope majores nostri (inter illos *longe post futuros*, de quibus *Petrus* loquitur) veram fidem amplexi, & in erroribus suis antea vagabundi ad ovile Christi deducti sint.

Act. 2, 29.

Non possumus negare, Majores nostros *Saxones naturâ feroces, & cultui dæmonum deditos, Christianæque religioni contrarios fuisse, qui neque divina, neque humana jura polluere vel transgredi inhonestum arbitrarentur:* id enim testatur fide dignus, quique Carolo M. familiarius adhæsit, *Eginhardus.* Ad fontes, ad arbores, in lucis, super saxa sacrificasse, & homines ipsos diabolo in hostiam obtulisse, cum aliunde, tum ex Capitularibus Francorum, in quibus illa prohibentur, discimus. Quin ipsorum Deastrorum, Crodonis Hartzburgi in vicinia nostra, Irminsulæ in Eresburgo, hodie Stadtbergen/ cultorum descriptiones & figuræ, ridiculæ pariter & abominandæ ad nos usque pervenerunt.

de vit. Car. c. 7.

Illud

Illud etiam certum est, magna cum difficultate Carolum M. majoribus nostris, & non nisi triginta duorum annorum bello, & libertatem abstulisse, & Christianæ religionis fundamenta impressisse. Accedere interdum propius, exhibere aut fingere Christianos, mox refugere & relabi ad pristinum dæmonum cultum: nec male in eos convenire, quod graviter Apostolus Petrus: Κύων ἐπιςρέψας ἐπὶ τὸ ἴδιον ἐξέραμα. Ὗς λȣσαμένη εἰς κύλισμα βορβόρȣ. II. Epist. 2.

Tandem tamen per Carolum M., Dei forte instrumentum, piosque & spiritu S. plenos viros firmas radices jecit apud nos religio Christiana. Et, sicut Apostolos, igneis lingvis loquentes, *Parthi & Medi & Elamitæ, & qui Mesopotamiam incolunt, Judæamque & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphyliam, Ægyptum & partes Lybiæ:* ita tandem quoque sequentibus seculis *Angarii, Westphali,* & *Ostphali, Chaucorum* progenies, τὰ μεγαλεῖα τȣ̃ Θεȣ̃ *magna facta DEI,* audiverunt, & liberis nepotibusque suis tradiderunt.

In Britannia Christi doctrina non tantum latè & maturè fuit propagata, sed ex ea etiam Insula, tanquam ex equo Trojano, prodierunt docti, pii, & Dei Spiritu fortes viri, qui in Frisiam & veterem Saxoniam lucem Evangelii intulerunt: quos inter imprimis *Winifridus, verus Christi Philosophus, cui postea cognomentum ex virtute Bonifacius,* ut de eo Adamus Bremensis scribit, factus dein Moguntinus Episcopus, & Martyrio coronatus in Frisia circa medium seculi octavi. hist. Eccles. lib. 1. Quo quidem eodem seculo per *Svibertum,* non ad alios tantum Saxones, sed *Ostphalos* quoque, seu *Osterlingos,* & in hæc ipsa, quæ in colimus, loca ferè, pervenisse religionem Christianam, non pauci sunt qui credant. Vixit *Swibertus* ille seculo VII, & circa initia octavi mortuus scribitur, memoratque de eo *Beda* l. 5. c. 12. hist. eccl. *Britannia egressum*

ad gentem Boructuariorum secesſiſſe, ac multos eorum prædicando ad viam veritatis perduxiſſe. Quousque tamen ad Viſurgim pervenerit, & an eum tranſierit, dubium eſt. *Marcellinus in ejus vita*, diſertè narrat, *perveniſſe in grandem vicum, dictum Brunſwick, ibique diebus aliquot prædicaſſe Christum, & convertiſſe multos.* Qui quidem Marcellinus fide dignus eſſet, ſi liber ejus de vita Sviberti aut genuinus aut non interpolatus ad nos perveniſſet. Illum, quem *Surius t. 2. ad d. 1. Martii* edidit, pro genuino admittunt *Poſſevinus, Bellarminus, Baronius*, & acris aliàs talium cenſor *Joh. Gerhard. Voſſius*; imò, Vir in hiſtoriis medii ævi verſatiſſimus, *Ægidius Gelenius*, non dubitavit librum ſub nomine *Clypei Svibertini* evulgare, quo jacula, quæ in ſcriptorem hunc contorquentur, avertit. Dudum tamen eſt, quod alii docti Viri, *Browerus, Buchelius, Gretſerus, Labbeus*, aliique hanc vitam Sviberti ſubdolam, & ſub *Marcellini* nomine à recentiore quodam ante annos non ita multos fictam ſuſpicati ſunt. Quibus ultimis ipſa rei evidentia me accedere cogit. Fuit certe ſcriptor ille, quiſquis fuit, minimè emunctæ naris, &, ut ſolent tales, æquè obtuſam eſſe aliis credidit, extantibus infinitis ignorantiæ ejus argumentis. Ut enim alia nunc non tangam, & huic, quam tracto, materiæ inhæream, dum ſe *Marcellinum* & *Sviberto* σύγχρονον fingit, urbem *Brunſvick* nominat, *grandemq; vicum* fuiſſe ſcribit; quæ celebris Vrbs, aut ſuburbis, aut ſub vici nomine, ſive parvi, ſive magni, æque ignota fuit Carolino, & quod illud anteceſſit, ſeculo, ac *Inferioris Saxoniæ* nomen quod idem ille impoſtor inculcat, poſt ſeſquiſeculum circiter demum à Brunone condita & nominata. Equidem *Ægidius Gelenius* l. c. variè ſe torquet, ut hanc grandem ἀνιστορησίαν tollat, ſuumque Marcellinum in tuto locet, & modò alium *Brunonem* inculcat, mox alium *Brunonis Vicum*

circa

circa Angariam aut Marchiam Comitatum fingit, tandem etiam vocem *Brunſvic* in *Bardewick* mutat, & antiquiſſimam Saxoniæ urbem hîc intrudit, ſeipſum tamen ubique non minus, quàm veritatem proſtituit. Non potuiſſe iſta latere credas *Ubbonem Emmium*, virum doctiſſimum, quique aliàs fabulas ab Hiſtoriis magno cum judicio ſecernit; & tamen ita ipſi impoſuit *Marcellinus*, aut ſimilis aliquis impoſtor, ut cum obiiſſe *Svibertum* anno 717. ipſe fateatur, nihilominus *Svibertum Weſtphaliam, Saxoniam inferiorem, Boructuariam, peragraſſe, & doctrinâ ſuâ Mimingardam, Bilveldiam, Brunſvigam, vicum tum temporis ingentem & celebrem irrigaſſe* ſcribat, cum profectò illo tempore Annalibus tàm nota Brunſvicum urbs, quâm Hiſtoricus Friſiæ *Ubbo Emmius*. Neque vero *Svibertum* in hæc aut vicina loca veniſſe memorant, qui ſimilia ſatis curiosè annotarunt, *Adamus Bremenſis*, aliique. Non confundendendus enim eſt cum hoc *Sviberto*, qui Werdæ in inſula Cæſaris anno 713. obiit, alter *Svibertus*, Epiſcopus primus Verdenſis ad Alleram, qui Epiſcopatus longè poſt à Carolo M. (& quidem anno 786. ſi fidem merentur Tabulæ fundationis, quæ hodieque paſſim extant) conditus eſt: quem errorem multi errant, notante ipſo Emmio, decepti fortasſis congruentiâ nominum, non Epiſcoporum tantum, ſed urbium quoque.

Hiſt. Rer. Friſ. l. 4. p. 146.

Carolo igitur Magno Religionem Chriſtianam debet Saxonia, quamvis forte ab uno alterove aliquid ad eam hîc inducendam prius fuerit tentatum. Ut enim nulla res, niſi miraculo quodam, ſimul inchoatur & perficitur, ita nec religio, nata primum & novella in his regionibus, pervenire ſtatim ad juſtam maturitatem potuit: quin potius cœleſte ſemen alibi ob ſoli rigiditatem radicem figere non potuit, alibi ſuffocatum eſt, aut etiam gentilium repugnan-

tium

tium furore fructum debitum non tulit. Nam nec Caroli felicissima arma, nisi trigesimo demum & secundo anno, absolvere, quæ moliebatur gloriosus & pius Princeps, potuerunt. Jucundum est in annalibus hujus ævi legere, quomodo in viciniam quoque nostram Christianus Princeps, & cum eo Christiana religio, pervenerit. Notant enim Francorum Annales unanimiter, illum anno octogesimo seculi octavi ad *Obacrum* fluvium accessisse, maximamque Orientalium Saxonum multitudinem in loco, qui dicitur *Orebeim*, baptizari fecisse, profectumque deinde ad Albim, castris in eo loco positis, ubi *Ora* & *Albis* confluunt. Quæ certè loca omnia aliquot tantum à nobis milliaribus distant. Non enim aliud *Orbeim* intelligi potest, quam quod hodieque in præfectura Slademensi superest, vicus cetera ignobilis *Orhem* vel *Horem*, situs in ripa fluminis *Ocri*, die Ocker. Confluunt autem *Orba* & *Albis* partim ad *Wolmerstadium* castrum, partim ad pagum *Loitzke*, ideoque vel ad hunc vel illum locum posuit castra Carolus, estque notatu dignum, quod observavit diligentissimus Historicus *Georg. Torquatus in Annalibus Magdeburgensibus & Halberstadiensibus*, (qui nondum editi hactenus, sed penes me sunt MSti) prope pagum Jersleben, Wolmerstadio vicinum, ad Orhæ ripam meridionalem *colliculos quosdam ostendi, in quibus circa Carolina castra excubias diu noctuq; disponi solitas vulgo credatur, ipsos etiam colliculos, in apice nonnihil excavatos, ab accolis Carols-Kessel vocari.* Verum tum quidem simulatio penes majores nostros tantum fuit, & quamvis baptizati, relapsi ad pristina, per plures adhuc annos Carolo negotium fecerunt, qui interdum crudelibus mediis, (cæsis Verdæ ad Alleram quatuor Saxonum millibus & quingentis) aliquando placidis per viros pios & prudentes, tandem etiam translocatio-

locatione deviɛtorum egit, ut ſuum ſcopum tandem obtineret, hoc eſt, Saxoniam, ſuam non tantum, ſed & quietam, piam & Chriſtianam redderet. Et id quidem à pluribus veterum annotatum, à recentioribusque obſervatum eſt, quod Carolus Saxonum multa millia aliò tranſtulerit, more jam Romanis uſitato, cum gentes ſubjugarent, ſed cauſam non aliam ferè exiſtimant, quam ut terram hoſtilem incolis privaret, & facilius ſibi ſubjiceret. Videtur verò mihi Carolus, id eo quoque nomine feciſſe, ut nonpauci ex Saxonibus religione Chriſtiana in terris Chriſtianorum tantò rectius initiarentur, illisque tanquam optimis inſtrumentis uti ad convertendos reliquos Saxones poſſet. In *Vita Bedæ*, quæ à *Monacho quodam S. Benigni* conſcripta, inter acta Sanctorum à viris, induſtriæ ſtupendæ & variæ eruditionis nomine non ſatis laudandis, Henſchenio & Papæbrockio ad x. Aprilis edita ſunt, hæc de Carolo M. & Teutonibus habentur: *Dum victos gratia Protectoris penitus ſuperaſſet, ut de collata ſibi victoria Protectori ſuò gratias exhiberet, multos Teutonicorum pueros eleganti forma gratiaq; decoros ſecum ducere deliberavit, quos ad erudiendum magiſtris tradidit literarum, ut per eorum ſcientiam atq; doctrinam rationis capaces effecti redemptoris ſummi cognitionem acquirerent & religionem ultro ſuſciperent Chriſtianam.* Hinc porro factum ſcribit, ut cum Caroli erga religionem amorem viderent, plurimi ex illis ad eam magis accenderentur: *de quorum numero*, inquit, *fuit Vir venerabilis Beda Presbyter, qui quanto in his ſe exercebat attentius, tanto fuit opere ac merito Deo ac hominibus Regi ſuo atq; Principi magis carus.* Ubi tamen notan-

dum à Monacho hoc confundi *Bedas*, & *Juniori*, qui circa finem seculi VIII, aut initium IX, natus, cujusq: corpus hodieque Genuæ ostenditur, tribui ea, quæ *Seniori Bedæ*, anno 731 mortuo, & Venerabilis cognomento noto, debentur. Interim *Bedam Juniorem*, non obscurè id indicante *Monacho S. Benigni*, Saxonem fuisse arbitror, & hinc quoque apud nostrates Annalistas errorem ortum, ut *Venerabilem Bedam*, qui *Anglus Girvvicensis* fuit, Saxonem crederent. *Tidericus Lange*, seu *Longus*, Eimbeccensis, *in Saxonia*, (à Parente meo primum publicatâ) scribit *Bedam Saxonem natum* esse, cujus verba recitans *M. Theod. Engelhusius in Chronico* p. 146. addit: *Fuit enim natus in villa* Denckel *juxta Asseborg, prope Brunsvic.* Accipiamns igitur civem & vicinum nostrum *Bedam*, non *Seniorem* illum, sed *Juniorem*, qui Genuæ quiescit, & seculo VIII finiente natus inter illos esse potuit, qui pueri à Carolo sint translati. Et vero in Italiam, adque ipsam Vrbem Romam missos à Carolo Saxones, ut ibi Christiana fide & ecclesiastica disciplina inbuerentur, ab aliis quoque asseritur, qui locum inter Basilicam S. Petri & Tiberim habitandum acceperint, à novis accolis Vicum Saxonum & Scholam Saxonum dictum, hodieq; Saxiam appellatum, ceu ex *Anastasio Bibliothecario* in histor. Leonis III. observavit *Lindanus*, & annotat *Baronius ad Martyrol. Rom.* x. Novembr. p. 696. quamvis de Frisijs Saxonibus id interpretetur *Vbbo Emmius*.

l. 4. hist. rer. Fris. p. 172.

In his ipsis vero terris Carolus M. per viros pios & singulari zelo actos, religionis negotium promovit. Deficiunt tamen Annales, & ignorare nos sinunt, quos in variis suis contra Saxones expeditionibus comites

habu-

habuerit ex ordine ſacro, nec cujusquam nomen memoratur ab illis, qui baptizationem celeberrimam ad Ocrum deſcribunt. Interim ex iis, qui ultimis Caroli temporibus in Northuringia (eò autem pertinebat hic terrarum, quem incolimus, tractus) majores noſtros converterunt, laudantur duo, *S. Ludgerus*, ejusque frater *Hildegrinus*, quorum uterque Epiſcopalem infulam tandem, prior Monaſterienſem, alter Catalaunenſem in Gallia, dein Halberſtadenſem hîc in vicinia nactus eſt. Hic *Ludgerus, gentis Freſonum clara columna*,

> *Presbyter occiduis laudabilis orbis in oris,*
> *Doctus in eloquio, prudens, & mente profundus,*

In vit. Ludger.

ut de eo canit *Poeta* apud *Altfridum*, S. Spiritu agitatus & ſingulari ſine dubio divina gratia ad hoc negotium feliciter peragendum fuit inſtructus. Memorant enim, qui vitam ipſius ſcripſerunt, varia linguarum peritia eum valuiſſe, *Romanæ, Latinæ, Anglicæ, Teutonicæ ſeu Freſonicæ & propinquarum iſtis linguarum*: laudant à ſanctitate vitæ, quod *idem fuerit diſciplina, qui doctrina, alios verbis correxerit, alios exemplo, & quicquid docuerit, prius fecerit.* Uti autem alibi, ſic hîc quoque apud nos, condidit Cœnobium, in quibus viverent pii viri, qui religionem porro doctrina, moribus, exemplo propagarent. *Anonymus, Werthinenſis monachus*, qui anno 1141. vitam Ludgeri ab Abbate

Auctor. Litan.

Bernhardo juſſus vel rogatus, conſcripſit, metro rythmico, triplicis Litaniæ ſerie, ita rem paucis verſibus complectitur:

Litania. I.

Fundavit inſuper tria loca pariter;
Numero locorum, quo & populorum,
Werthinam, Helmenſtad monachis fundaverat
De proprietate vel hæreditate,
Et Epiſcopium, dictum Monaſterium.

Ante quem integro ſeculo & amplius *Ditmarus* Mersburgenſis Epiſcopus, in hac vicinia natus, diſerte memorat, *Ludgerum locum hunc Helmſtad vocatum proprietate ſua conſtruxiſſe, tempore Caroli Imperatoris Magni.* Supereſt hodieque in ſuburbio orientali Cœnobium illud, &, ſi famæ credimus, ipſum illud Oratorium, quod S. Ludgerus extruxit, & à tot ſeculis inter tot terrarum harum devaſtationes integrum & illibatum manſit, antiquitate omnia alia in hac Saxonia ſuperans, & Imperiali auctoritate liberum, ſanctique Conditoris ſui nomen ad hæc usque tempora conſervans; ut vel hinc pateat ſuppoſititium eſſe Diploma, quod producit *Bucelinus*, cum in eo nulla conditoris Ludgeri fiat mentio.

l. 4.

Frater hujus Ludgeri germanus *Hildegrinus, ab eo eruditus*, ut Altfridus ſcribit, multum etiam deinde

ad

ad majorum noſtrorum converſionem contulit, ſed ſerius & fratris demum exemplo incitatus poſt conditum jam Helmſtadienſe Cænobium. Merentur verba ipſa Poëtæ, ita de *Hildegrino* loquentis, audiri, quoniam hanc cæleſtis doctrinæ apud nos propagationem illuſtrant:

Litan. II.

Qui in Eccleſia dudum fuit aliqua
Catalaunenſi Præſul, ſub Remenſi,
Ubi dum degeret, & commiſſa regeret,
Et proſperitatem habuiſſe fratrem
Luidgerum cerneret, ut gentes converteret,
Quas de Paganiſmo acquiſivit Chriſto,
Et ipſe monitus, nimirum divinitus,
Ad Nortthuringenſem ſe committit gentem,
Uſus auxilio fratris & hoſpitio,
Manentis in loco, Helmenſtadt vocato,
Ubi ſanctisſima ordinantes ſemina
Evangeliorum in Nortthuringorum
Jecerunt pectora, donec Dei gratia
Fecit ibi fructum cælos usq; ductum.

Non est dubium, quin *Hildegrinus* deinde zelum suum continuaverit, & postquam vicinæ Halberstadensi Ecclesiæ primus datus Episcopus, plurima dein ad conservandum his in locis religionem contulerit. Ut proinde, ceu Carolo M. quod per eum *Saxones & quædam Aquilonalis plagæ gentes, Deo annuente, ad veræ fidei rudimenta conversæ* (verba ipsa Caroli M. in libro de Imaginibus, quod sub nomine illius ab isto usque ævo habemus) ita quoque huic Hildegrino grates plurimas debeamus, quod conservare diligentia sua, quæ feliciter posita, voluerit. Equidem tum Majores nostri non tantum illam avitæ superstitionis eradicationem ægerrimè tulerunt, sed etiam libertatem suam, hactenus maximam, à Carolo circumcidi, & magnam partem tolli, indignati sunt. Verùm parvâ speciosi boni & terrenæ felicitatis jacturâ incomparabilia & æterna veræ salutis dona sibi suisque posteris lucrati sunt. Igitur

l. 1. c. 6. p. 54.

Saxonia gens victa sacro lætare triumpho,
Quem Carolus de te relligioq; tulit.
Si sub Rege pio libertas gratior extat,
Servitio magis es libera facta tuo.

ut canit Principum omnium Germaniæ eruditissimus, quo solo titulo is facile dignoscitur.

Hæc igitur omnia, Cives Academici, devote considerantes his diebus sanctis, Laudemus Deum Patrem cælestem, qui ex profundo tenebrarum majores

res noſtros, per Spiritum S. & illius donis inſtructos viros, eruit: qui hodieque nos in clara Evangelii luce conſervat, & Spiritu ſuo, Spiritu veritatis, ad omne bonum ducit. Faciamus, quod credentes illi, in *Actis Apoſtol.* à *Luca* memorati, *perduremus quotidie concorditer in templo, cum exultatione & ſimplicitate cordis, laudantes DEUM*, & illos quoque honoremus, per quos in Eccleſia Spiritus S. quotidie operatur ad ſalutem noſtram ſempiternam. P.P. in Academ. Julia xx. Maji CIↃ IↃ C LXXXI.